



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. Quinam habeant potestatem extraordinariam, aut delegatam
conferendi ordines?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nati quis possit. Dicitur autem ratione originis subiectus aliquis ad hunc finem huic v. g. Episcopo, è cuius diœcesi est oriundus, non tantùm fortuitò, sed quòd parentes tunc temporis domicilium in tali diœcesi haberent, non enim illius, quod per accidens fit, sed quod per se, ratio habetur; quia etiam ad hunc ipsum finem ordinum suscipiendorum ab Episcopo originis, sufficit patrem ibi natum fuisse, si de filii originis loco non constet, vel si expositi fuerint, ab Episcopo loci, ubi expositi fuerunt; vel si nullius diœcesis sint, à viciniore Episcopo, quem semel ad hunc finem elegerunt. Ratione domicilii verò ad hunc finem Episcopo subiecti dicuntur, in cuius diœcesi sedem, seu domicilium, animo perpetuò ibi manendi, nisi quid occurrat, fixerunt, vel ipse ordinandus, si proprium domicilium, distinctum à paterno domicilio, habeat, vel ipsius parentes, si proprium domicilium non habeat ordinandus. Ratione beneficii denique proprius Episcopus in ordine ad hunc finem habetur, in cuius diœcesi beneficium aliquis obtinet, & possidet, licet manuale illud tantùm sit, aut tenue beneficium, & ordinandus non resideat, nec teneatur ratione beneficii talis resideat in illa diœcesi. Negari tamen non potest, quamvis de iure communi à quolibet horum ordines accipere possit aliquis, minores v. g. ordines ab Episcopo originis, Subdiaconatum & Diaconatum ab Episcopo domicilii, Presbyteratum ab Episcopo beneficii, quia per accidens evenire possit, ut ordinatus ab uno, ab alio ordinari non possit, sic ordinatus à Papa, à nullo inferiore ad altiores ordines pro-

moveri potest, sine licentia Pontificis, ob reverentiam scilicet summæ sedi debitam c. cum in distribuendis 12. h. 2. Sic Clerici Latini à Græcis Episcopis, & Græci Clerici à Latinis Episcopis, secundùm ritum & morem, cuius Ecclesiæ proprium, ordinari non debent, ut ne fiat rituum confusio c. cum secundum h. 2. Sic Episcopis Italiæ prohibitum est, ultra montanos ordinare sine licentia Papæ, vel litteris dimissorias propriis ordinariis ad multas fraudes cavendas c. 1. h. 2. in 6.

§. VI.

Quinam habeant potestatem extra ordinariam, aut delegatam conferendi ordines?

Non tantùm de iure antiquo, & speciali juris concessione, aut privilegio Pontificis, sed etiam de iure Tridentini novo, quod antiquum jus in quibusdam circa hanc materiam corrigit, posunt Prælati regulares, qui suas Prælaturas in titulum obtinent, si Sacerdotes sint, & benedicti (nisi tertio requisiti Episcopi benedicere eos noluerunt, c. 1. de supplen. neg. Prælat.) atque jus mitræ & baculi, seu pedi pastoralis habent; vel certe si benedicti non sint, usum tamen Pontificalium ex speciali Apostolico privilegio habeant, suis regularibus subditis, etiam novitiis primam tonsuram, & ordines minores conferre; & quamvis de iure antiquo major fuerit hæc Prælati: um regularium potestas, etiam quoad sæculares, suæ jurisdictioni spiritali plenissimè subiectos se extendens, correctæ tamen est per Tridentinam hæc quoad sæculares tales facultas, & ad so-

los regulares restricta, ut patet ex verbis Tridentini *sessione 21. c. 10. de refor. junctâ declar. Cardinal. Concilio*. Hæc etiam potestas primam tonsuram, & 4. minores ordines conferendi concessa est Cardinalibus Presbyteris in ordine ad sui Tituli subditos, in quos quasi Episcopalem jurisdictionem exercent; & potest cuilibet alii simplici Sacerdoti hæc potestas à Pontifice committi; & quamvis satis certum sit, quòd potestas ordinandi Presbyteros Sacerdoti non Episcopo committi non possit, prout ex institutione Christi, & ex praxi Ecclesiæ satis probatur, potestas tamen ordinandi Subdiaconos, & Diaconos, quòd Sacerdoti etiam non Episcopo à Summo Pontifice committi possit, satis probabile est, & probat hoc privilegium Cisterciensibus quibusdam Abbatibus concessum, quòd utrum hodie adhuc in usu sit, viderint illi, quorum interest; qui omnes ex tali delegatâ potestate ordinantes, formam & limites concessæ sibi potestatis observare debent, ne invalida sit eorum ordinatio, ex defectu potestatis, & ne incurrant pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium.

§. VII.

De literis dimissorias.

Quòd non possit Episcopus alienæ diœcesis subditum sine licentia sui ordinarii ordinare, ex dictis patet: quia verò hæc licentia in scriptis dari solet, ordinariè solet etiam hæc licentia, literæ dimissorias, dici. Sunt ergo literæ dimissorias nihil aliud, quàm licentia in Scripto obrenta ad ordines ab alieno Episcopo accipiendos. Possunt autem hæc lite-

Compend. Pirhings.

ræ dimissorias concedi primò à Summo Pontifice, cui hæc potestas competit, respectu omnium Christi fidelium ordinandorum. Secundo à Legatis sedis Apostolicæ à latere respectu subditorum suæ provinciæ, non tamen intra primum annum vacantis sedis, nisi in casibus expressis, prout de Capitulo Cathedrali dicitur. Tertio Episcopus proprius sive ille originis sit, sive domicilii, sive beneficii, qui enim ordinare aliquem ex proprio jure potest, potest etiam dimissorias dare, juxta *reg. jur. 68. in 6.* & quia literas dimissorias concedere, est actus jurisdictionis, consequenter potest has dare Episcopus confirmatus, etiam si consecratus non sit. Quarto Prælati regulares possunt quidem subditis suis regularibus (qui sine licentia vel dimissoriis suorum Prælatorum ordinari non debent *c. ad aures s. h. r.*) non tamen novitiis, concedere dimissorias ad sacros ordines accipiendos, ad Episcopum illius loci, in quo monasterium situm est, vel si absens ille sit, aut ordinationes non habeat, vel speciale privilegium talis Prælati habeat, etiam ad alienum; qui tamen exempti sunt, ac ordinariam jurisdictionem quasi Episcopalem in loco aliquo habent, ad Episcopum alterius diœcesis, suis subditis, etiam secularibus, concedere possunt dimissorias, cum enim in hoc loco jurisdictionem talem Episcopalem habeant, consequenter sicut Episcopus suis etiam secularibus subditis dimissorias, ratione suæ jurisdictionis, dare potest, ita poterunt vi paræ jurisdictionis etiam illi. Quintò has concedere potest Capitulum Cathedrale, vacante sede, cum restrictione tamen à Tridentino

P

Sessione